



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Udalricus Episcopus. 4. Julii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

si modò cum fiducia & ardente oratione imploretur,  
*Securus transcendō*, quando ille me sub se tenet, qui est  
 super omnia. S. Aug: in ps. 6.

3. S. Clara Virgo annis quinquaginta sanctè vixit;  
 jejuna propè semper. Semper virtuti cibus jejunium fuit.  
*De abstinenſia quoque prodeunt casta cogitationes, rationabiles virtutes, salubria consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentias moritur, & spiritus invocatur.* Leo Papa de jejunio decimi mensis.

## S. UDALRICUS Episcopus.

4. Julii.

*Juvenilia desideria fuge, sectare vero Iustitiam, Fidem, Spem & Charitatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum de Corde puro.*

2. Tim. 2.

**M**ultum ætas tenera nutricibus debet,  
 quæ lac dederunt; plus illis, quæ pietatem instillârunt. Ipse è cœlo UDALRICUS  
 adstipulabitur. Hunc puerum Wiborada  
 sanctissima Virgo leviculè fortè cinctum,  
 castiore de lino cingulo donavit, jussitque  
 primò, liberioribus sermonibus nec lin-  
 guam daret nec aurēm; mollem cupidinem  
 cilicio

cilicio absterreret, ejus flammis sub pectore  
graſſantibus, verbis Ecclesiæ in adjutorium  
Deum exciret, simul dīgo in yocum im-  
misso incendiis incendia opponeret; fœmi-  
nas denique, vel se fœmina autore, fugeret.  
His monitis velut lacte virtus UDALRICI cre-  
vit, ridentis irridentium coævorum turbam,  
qui cum ludibrio, sed sine mendacio, san-  
ctum jam tum clamabant sed graviora testi-  
monia jam Pontifici cœlum dedit, è quo  
manus delapsa sacrificare cum UDALRICI  
manu est visa, Fluvium in perforata navi,  
nunc sine illa siccus trajecit: Contra Bar-  
baros Augustam Vindelicorum obsidentes,  
Ottoni Imp. præsentia suā nobilem victo-  
riam peperit. Virginis Augustanæ bona ad-  
versus rapaces manus tutatus commilites  
Cælites habuit, qui variis pœnis in prædo-  
nes pugnarunt. Multis aliis miraculis illu-  
stris fassus tamen est, pœnas se Numini de-  
bere, quòd successorem sibi Nepotem (cæ-  
tera dignum) legisset. Proinde non Nepotes,  
sed pauperes fecit hæredes; in quos moriens  
etiam suppellectilem sparsit. Sed nimirum  
sic vasa colligunt pontifices in cœlum  
migraturi. Ex Vita.

150) 10 (15)

## MEDITATIO.

### De Vita Sancti Udalrici.

1. *Vrenilia desideria fuge*: 2. Tim. 2, ut hæc fugeret S: Udalricus altè impressit animo suo quoad vixit, monitum Wiboradæ Virginis Sanctissimæ; *faminæ se quoque faminâ auctore fugeret*: Perpende tecum illud Hieronymi lib. 2, Gest. 14, nec Sampsonem fortior, nec Davide Sanctior, nec Salomone potes esse sapientior: memento semper quod Paradisi Colonum de possessione mulier ejecerit. & ibid. periculose tibi ministrat cuius frequenter vultum attendis.

2. *Sectare Iustitiam*. 2. Tim. 2. S. Udalricus multis licet miraculis illustris, tamen Numini se pœnas debere dixit quod successorem sibi Nepotem [cætera dignum] legisset. An æquè affectus nostros ad justitiam libellam examinamus ut minimos defectus observemus? Sæpe ipsa nostra iustitia ad examen divina iustitia deducta, *injustitia est*, & sordes in distinctione iudicis, quod in estimatione fulget operantis. S. Gregorius lib. 5. moralium.

3. *Sectare pacem cum iis qui invocant Dominum*. 2. Tim. 2. S. Udalricus Augustâ Vindelicorum à barbaris miraculosè liberatâ, cum victoria pacem tulit. Hæc nota est filiorum Dei placare iratos, & pacem facere. *Si Dei vocantur filii, qui faciunt pacem, procul dubio Sarana sunt filii qui pacem confundunt*. Gregor. in Pastor, an pacem diligis? & ea quæ pacis sunt cogitas,

S. WIL.